



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**In Causa Religionis Miscellaneorum Libri Tres In Diuersos  
Tractatus antea non æditos, ac diuersis temporibus,  
locisq[ue] scriptos digesti**

**Cochlaeus, Johannes**

**Ingolstadii, 1545**

**VD16 C 4328**

XII. Questio, Vtru[m] liceat Christiano duas aut plures habere uxores simul  
& eodem tempore, scripta Vratislaviae Anno. 1540.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-29563**

Transcriptus est hic sermo In Stolpensi arce (quæ est Episcopi Misnensis) Ex uetusto Pontificali, Anno 1537. Et concordat per omnia, cum eo, qui habetur in grandi uolumine antiquo, Quod pulcherrime scriptum est cura & impensis Gundechari secundi, qui fuit decimus octauus Episcopus post S. Vuilibaldū, in Ecclesia & Episcopatu Eystaensi, Circiter annum Dominicæ incarnationis M.LVII. Vir sane sanctissimus miraculisq; clarificatus, De quo istud habetur Distichon antiquum.

Est tibi Solonis mens Præsul & os Salomonis.

Ephor Aaronis cum reliquisq; bonis.

## MISCELLANEO:

RV M LIBRI SECVNDI

*Tractatus Duodecimus.*

QVAESTIO, VTRVM LICEAT CHRISTIANO Duas aut plures habere uxores simul & eodem tempore.



Vod Non. Probatum autoritate & ratione, Autoritate scripturarum utriusq; testamenti, Constitutione legum & Canonū, Decretis et sententijs sanctorum patrum, antiqua consuetudine Ecclesiæ, et præscriptione longissimi temporis. Rationibus præterea multis, quas scholastici præsertim Doctores Theologiae copiose commemorant.

Etenim in ueteri Testamēto ait scriptura Gen. 1. Masculinum

Num

Quaestio utrum liceat Christiano

Ex uet. testa-  
mento pro-  
bationes sex

lum & foeminam creauit eos. Ecce unitas in utroq; sexu ex  
prima hominis creatione à deo iustituta, Ergo pluralitas u-  
xorum sub uno marito est & contra institutionē Dei & cō-  
tra naturam, Natura enim rerū ex prima Dei creatione om-  
nibus indita est, Ne quis autē dicat, homini licere, sicut equo,  
tauro, arietī, ceruo, gallo, &c. plures q̄ unā habere foeminā,  
Textus hanc absurditatē excludit, quia de solo homine, nō  
de alijs animalibus, dicit, Et creauit Deus hominē ad imagi-  
nē & similitudinē suā, Itaq; ait Dauid Rex et propheta, Psal-  
mo. 31. Nolite fieri sicut equus & mulus. In quib. nō est intel-  
lectus. Tales enim reprehēdit & Hieremias propheta dicēs,  
Equi amatores in foeminas & emissarij facti sunt.

Hiere. 5.

- II. Secundo, Rursus ait Deus Gen. 2. Nō est bonū hominē  
esse solū, faciamus ei adiutoriū simile sibi, Ecce et hic singu-  
lari utitur numero, qui unitatis, non pluralitatis est, sicut  
& supra foeminam, non foeminas dixit, Ita hic quoq; ad-  
iutoriū, non adiutoria dicit, Est igit̄ contra facturā et opus  
Dei, unū uirū habere simul & eodē tempore plures uxores.
- III. Tertio, Subiungit textus ibidem sic. Et aedificauit Do-  
minus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem.  
En costam unam, non duas aut tres tulit Deus de Adam, et  
in unam, non in plures, aedificauit mulierem. Ordinatione  
igitur diuina unī marito non licet nisi unam habere uxore-  
m, Qui plures simul habet, Dei ordinationi resistit, & sibi  
damnationem acquirit, ut ait Apostolus Ro. 13.
- III. Quarto, Rursus ibidem subiungunt hęc uerba, Quam-  
obrem relinquet homo patrem suū & matrem, & adhærebit  
uxori suæ, et erunt duo in carne una. Ex his quoq; uerbis fa-  
cile dinoscitur, contra ordinem & naturam atq; institutio-  
nem matrimonij esse, si uir unus simul habeat duas aut plu-  
res uxores. Talis enim non uxori sed uxoribus adhæret. Et  
non

nō sunt ibi duo in carne una, sicut lex matrimonij cōstituit, sed sunt Tres, si duas, aut quatuor in una carne, si Tres uxores habeat simul. Violat igitur & prophanat ius Matrimonij, quicumq; plures simul uxores habet.

Quinto sic ait Adam ad Dñm Gen. 3. Mulier, quā dedi-  
sti mihi sociam, dedit mihi de ligno & comedi. Hic quoq;  
fatetur Adam, Coniugiū à Deo institutum esse homini ad  
unā, non ad duas aut tres mulieres simul. Non enim socias,  
sed sociam dixit, pluralitas igitur uxorum cōtra ordinatio-  
nem Dei est, qui unam dedit sociam uiro, nō socias plures.  
Peccat igitur & peruertit ordinationem Dei, quisquis plu-  
res uxores simul habere audet.

Sexto Gen. 4. legitur pluralitas uxorum à Lamech uiro  
malo introducta esse. Qui primus accepit duas uxores, &  
dixit eis. Audite uocem meā uxores Lamech. Ecce ait, Au-  
dite uocem meam, et non ait, uxores meæ, sed uxores La-  
mech, Tanq̄ diceret, Non estis meæ secundum Dei ordina-  
tionē, Deus enim unā uni copulari ordinauit, sed estis uxo-  
res Lamech. De Lamech aut dabitur ultio septuagies ses-  
pties, Lamech ita igitur potius quam Christianus dicendus  
est, quisquis exemplo Lamech duas accipit uxores, & ad ci-  
uitatem Dei non pertinet, quia contra Dei ordinationē fa-  
cit, sed pertinet ad ciuitatem Diaboli, sicut Lamech, qui nō  
ex Genealogia boni filij Seth, sed Cain parricide descendit.  
Hæc ex ueteri testamento breuiter dicta sint.

Ex nouo quoq; testamento facile reprobatur uxorum  
pluralitas. Nam Christus in Euangelio pleraq; uerba ex  
supradictis repetit & confirmat, dicens, Matthæi 19. Non  
legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum &  
fœminam fecit eos, & dixit. Propter hoc dimittet homo pa-  
trem & matrē & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne  
una,

I. Ex No. test. probationes similiter sex

Nn 2 una,

### Quæstio utrum liceat Christiano

una, Itaq; iam non sunt duo, sed una caro, Ecce Christus in Euangelio expresse dicit cum scriptura. Et erunt Duo in carne una, Et addit ultra scripturam. Itaq; iam non sunt duo sed una caro. Est igitur manifeste contra Euangelium, si uir unus plures simul uxores habeat. Ibi enim non Duo (ut dicit Euangelium) sed tres aut quatuor essent in carne una & una caro.

II. Secundo, Ibidem ita subiūgit Christus. Dico autē uobis quia quicumq; dimiserit uxore suā, nisi ob fornicationem & aliā duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit, mœchatur. Hinc sane sequit̄, multo magis mœchari eū, qui uxore suam retinet & aliā adhuc ducit, Cum qua utiq; mœchatur, contra fidē priori uxori datā, Prophanat igitur Euangelium, quis quis carnē suā in plures uxores diuidit, & mœchatur cum uxore secunda contra ius primæ. Si enī mœchatur cum secunda, priore dimissa, quanto magis mœchatur, priore nō dimissa, sed ius matrimonij retinente & agnoscente.

III. Tertio, Ait Apost. Ro. >. Lex in homine dānatur, quāto tempore uiuit, Nam quę sub uiro est mulier, uiuente uiro alligata est legi, si autem mortuus fuerit uir eius, soluta est à lege uiri. Igitur uiuente uiro uocabitur adultera, si fuerit cum alio uiro. Si autē mortuus fuerit uir eius, liberata est à lege uiri, ut nō sit adultera, si fuerit cum alio uiro. Ex his quoq; uerbis clare sequitur, nō licere, neq; uiro neq; mulieri nubere alteri, priore cōiugio adhuc durante. Sicut igitur mulier quę alteri nubit, uiro suo adhuc uiuente, adultera uocatur & est; Ita uir quoq; qui alteram ducit, uxore sua adhuc uiuente, recte adulter uocatur & est, Viuente enim uxore primā, alligatus est legi coniugali quam diu illa uiixerit, lex enim coniugij iubet eum adhærere uxori suæ. Vinculum quippe coniugale æque alligat maritum & uxorem.

Quarto

Quarto. Rursus ait Apostolus 1. Cor. 7. Vxori uir debet IIII.  
 tum reddat, similiter autem & uxor uiro. Mulier sui corpo-  
 ris potestatem non habet, sed uir, similiter autem & uir sui  
 corporis potestatem non habet, sed mulier. Ex his quoque uer-  
 bis Pauli clare patet, non licere uiro Christiano, duas aut  
 plures uxores simul habere. Tenetur enim uir uxori debitum  
 reddere, At debitum illud exigit bonam fidem, Bona autem  
 fides exigit, ut ei reddat cui debetur, si ergo reddatur alteri,  
 iam non est bona fides. Præterea, uir non habet potestatem  
 corporis sui sed uxor, Non potest igitur uir corpus suum al-  
 teri dare, uxore adhuc uiuente, Sicut nec uxor alteri corpus  
 suum substernere potest, uiro suo adhuc uiuente pari enim  
 uinculo utrinque alligantur uir & uxor. Multa quoque alia sunt  
 in eodem cap. testimonia Pauli contra pluralitatem uxorum  
 uerbi gratia. His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non  
 ego sed dominus, uxorem à uiro non discedere, & uir uxorem  
 non dimittat. Hinc quoque par coniugij uinculum utros-  
 que esse conuincitur, Sicut igitur non licet uni uxori duos  
 habere maritos. Ita nec uni uiro licitum esse potest, inter Chris-  
 tianos, duas habere uxores. Item Mulier alligata est legi,  
 quanto tempore uir eius uiuit. Quod si dormierit uir eius,  
 liberata est à lege. Cui autem uult nubat, tantum in domino  
 Hæc ibi Paulus, quæ & uirum similiter obligant, non est. n.  
 liberatus à lege, quanto tempore uxor eius uiuit.

Quinto. Idem Apostolus Ephe. 5. id ipsum affirmat, dis- V.  
 cens, Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit Ec-  
 clesiam. Itē uir debet diligere uxores suas ut corpora sua, Qui  
 suam uxorem diligit, seipsum diligit, Nemo enim unquam  
 carnem suam odio habuit, sed nutrit & fouet eam, sicut &  
 Christus Ecclesiam. Item. Post hæc uerba ( quæ & supra ex  
 Genesi & ex Euangelio recitata sunt) Et erunt duo in carne

Non 3 una

Quaestio Vtrum liceat Christiano

Cant. 4.

una, sic ait, Sacramentum hoc magnum est, Ego autem dico in Christo et in Ecclesia, Veruntamen & uos singuli unusquisque uxorem suam diligat sicut seipsum, Vxor autem timeat uirum suum. Haec ibi Apostolus. Ex quibus aperte conuincitur, sicut Christus non nisi Vnam habet sponsam Ecclesiam, de qua dicit in Cantico Salomonis, Vna est columba mea, perfecta mea, Ita & uir Christianus non nisi unam debet habere uxorem uno eodemque tempore, Alioquin non esset Matrimonium conforme sacramentum Christi & Ecclesiae, Hoc autem esset contra Paulum, qui ait hic, Sacramentum hoc magnum est &c. Vni itaque uiro ubique unam applicat uxorem, nusquam duas aut Tres. Verbi gratia, ait sic. Qui uxorem suam diligit, seipsum diligit, Non autem ait sic. Qui uxores suas diligit. Item. Nemo unquam carnem suam odio habuit, Ait carnem, non carnes. Vbi autem dicit uiros, dicit & uxores, sicut hic, Viri diligite uxores uestras. Aequiparat igitur numerum in utroque sexu, unam uni, duas duobus uxores permittens, uni autem Duas nusquam admittit.

VI. Sexto. Ait rursus idem Apostolus 1. Thessa. 4. Haec est enim uoluntas Dei sanctificatio uestra, ut abstineatis uos a fornicatione, ut sciat unusquisque uestrum uas suum possidere in sanctificatione et honore, non in passione desiderii, sicut & gentes qui ignorant Deum. Hic quoque ait Apostolus, uas suum, non uasa sua. Innuens per hoc, uni unam, non duas aut tres uxores apud Christianos permitti. Et tantum ex utriusque Testa. scripturis, Caetera propter prolixitatem hic commode referrí non possunt, nec opus est plura nunc asserere. Quisquis enim non ueretur tam multa scripturae loca uel negare uel in reprobum sensum retorquere, is longe minus reueretur caetera quae praeter scripturam adduci queant.

Scripta Vratislaviae, Die 13. Septemb. Anno 1540.

MISCEL